



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.49. Altera S. Ludovici expeditio sacra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

Germania Comites Juliacensis & Luxemburgicus, Episcopus Leodiensis atque complures Proceres sacrae Crucis militiam inierunt. Hæc commendatur Anglis, magnumque ex iis subsidium speratur. Quid non facient, postquam hos tristes nuncios, quos illis misimus, acceperint?

n. 43.

Tum Papa Richardum Cardinalem de S. Angelo suum in Sicilia Legatum per litteras interrogavit, quid hac in re agere cogitaret Rex Carolus, quippe qui proximus esset, atque Palæstinæ velocius quam quisquam alius orbis Princeps posset succurrere? Dabat 19 Octobris: &

n. 42. 44.

vigesimo quinto ejusdem mensis suo in Anglia Legato Ottobono præcepit, ut ejus populis ad arma eodem fine capienda stimulos admoveri curaret.

§. XLIX.

*Altera S. Ludovici expeditio
sacra.*

Goffr.
Bellot. c. 37.
Duchesne
p. 461. p. 383.

Præ cunctis Principibus S. Ludovicus rem serio aggrediebatur. Ante aliquot annos statuerat sub vitæ suæ finem ad Dei gloriam moliri magnum aliquid arduumque, ac terræ sanctæ iterum subvenire. Tum coepit familiæ sumptus, quantum poterat, minuere magna omnium

mnium admiratione: nam propositum celabat suum, nec exequi properabat. Sibi tamen ipsi ne crederet, per hominem fidum Papam Clementem clam consuluit; qui primum consentire non ausus, post longam denique deliberationem illud approbavit.

Ergo Rex ad conventum Parisiis medio jejunii verni tempore an. 1267 celebrandum cunctos regni Præsules Proceresque convocavit, nemine rei causam sciente. Dies Jovis medio in jejunio erat vigesimus quartus Martii: ac postero die festo SS. Virginis ab Angelo salutata congregato coetu ac præsente Legato Rex de ineundo bello sacro nervose simul ac suaviter differebat. Cum Legatus idem suafisset, Rex crucem tenero cum affectu, dein tres filii ejus, Philippus, Joannes Tristanus, ac Petrus accipiebant: quartus, Robertus nomine, vix decem annorum erat. Proceres tum illi, quos Rex occulte jam animaverat, tum alii, quorum animos Deus hac occasione tetigerat, eodem die, sed postea plures crucem induerunt. Præcipui fuere Alphonfus Regis frater Pictavii ac Tolosæ Comes, Theobaldus Navarræ Rex & Campaniæ Comes, Regis gener, Robertus Artesiæ, Guido Flandriæ Comites, Joannes Britanniae Comitis filius.

§. L.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

Chr. Roton.
to. 1. bibl.
Lab. p. 378.
Joinville
p. 125.